BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

COMMENTARII

Ioannis Ignei viri clariſs. I. V. doctoris
AVRELIANI IN ALIQVOT
constitutiones principum, itemque in aliquot Reſponſa
Iuriſconſultorum (vulgus Repetitiones vocat)
multo quàm antehac caſtigatiores:
quorum Catalogum in ſequenti pagina
reperies.

ADIECTVS EST INDEX LOCVPLEtiſsimus eorum quæ in hiſce Commentariis viſa ſunt notatu digna.

Cum Priuilegio Regio ad VII. annos.

Lugduni,
APVD VINCENTIVM DE PORTONARIIS.
&
Aureliæ,
APVD FRANCISCVM GVEYARDVM.

M. D. XLI.

COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM.

QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINEANTVR.

Repetitio. L. Dudum. C. de contrahen. empt. & vendi. Tornacenſi pontifici dicata.

Copioſa nec minus elegans Repetitio Authen. Ex cauſa. C. de liber. præte. vel exhæred. Illuſtriſs. Ioanni Deganaio Galliæ Cancellario dicata.

Acutè grauiterq́ diſputata quæſtio, Num Gallorum Rex Chriſtianiſsimus Imperatorem vt ſuperiorem agnoſcat.

Repetitio. L. Contractus. ff. de regu. iur. vtiliſs. materiam continens.

Repetitio. L. Quatenus. ff. de regul. iur. in qua ſubtilem materiam earum actionũ quæ pro eo quod intereſt proponũtur latiſsimè proſequitur.

Repetitio. L. Donationes quas diuus Imperator. C. de donationibus inter virum & vxor.

His acceſſit Repetitio. §. Non aliâs. ex. L. Neceſſarios. titulo De ſenatuſconſul. Sillaniano & Claudiano, & quorũ teſtamenta non aperiantur. libro uiceſimonono Digeſtorum, opus recens natum, uaria ac multiplici doctrina refertum. Authore eodem Ioan. Igneo. V. C. I. V. doctore Aurelliano.

Quæ omnia ab Authore ipſo & acutè & eleganter diſputata ſunt in Ticinẽſi Academia, in frequenti doctiſsimorum virorum cœtu.

Reuerendiſsimo in Chriſto patri, Do.

CAROLO DV HAVLTBOYS TORNACENSI

præſuli meritiſsimo Franciſcus Rubeus Britannus Trecorenſis, S. P. D.

QVum animo meo diutius cogitarẽ Reuerendiſsime pontifex, eruditiſsimis uiris omniũq; humanarũ ac diuinarum rerum eruditione conſummatiſsimis, nihil gratius, nihil optatius, nihilue iocundius afferri poſſe quàm eos literarijs xenijs ſacratisq; diſciplinarũ (in quibus quotidie uerſantur) muneribus celebrari: eorum numero primarius proculdubio occurriſti, cui authoris doctiſsimi, tuiq; nominis obſeruantiſsimi uigilias procuratorio quodam nomine dicarem. Cui magis quàm alicui mortalium, hanc rem conuenire exiſtimaui: utpote qui teneris adhuc annis iureconſulti optimi munus Luteciæ publicè profitendo obiueris: deinum ſacro Pariſien. ſenatus ordini adiunctus, ac deinceps per omnes dignitatis gradus ambulans, ad ſacroſanctum pontificale culmen, ueluti uirtutis tuæ præmium, aut uerius dicam teſtimonium nutu quodam cœleſti diuinoq; auſpicio merito ſis euectus: moxq; ſolito uirtutis tuæ tramite gradiens (ne ullius ſtatus tui merita negligeres) noua quadam gratiſsimaq; ſynodo labentem clerũ reformaueris. Principibus inſuper diuerſis (quod ſupremam prudentiam arguit) nullo interpollato tempore gratiſsimus ſemper habitus ſis, chriſtianiſsimo præſertim regi noſtro Ludouico xij. qui uirtute tua & ſyncera fide ſæpius explorata, arduis ſemper negotijs te præfecit, ſuorumq; intimorum conſiliorum participem ueluti alterum Achatem delegit. Hanc igitur ſolen. l. Dudum. repe. inter cætera Ignei opera, igneo quodam cœleſtiq; ſpiritu fabricata, artificioſo quodam ſtylo miroq; & ueuſto ordine contextam, ac omnium bene ſentientium iudicio (quorum numero Iudocũ Larentium, Ioannemq; Bibautium Flandros, homines certè quos extra communes ingeniorũ metas credimus) mirum in modum commendatam, R. P. tuæ dicandam ſacraui: qua in primis authoris ueterem erga te obſeruantiam, eiuſdemq; illuſtre ingenium cognoſceres: cognitum admirareris, ac laudares: laudandoq; tui fulgentis nominis titulo ornares: quô a liuidorum (quos mea ætas infinitos nouit) promptis inſidijs iugibusq; harpagonum murmuribus protegeres. Vale literatorum ſpes & mecœnas digniſsime. Ex Ticino, otio noſtro literario, die xx. Februarij, anno Chriſti M. D. XI.

Solennis & valde quotidiana Repetitio

legis Dudum. C. de contrahenda emptione. Ioannis Ignei V. C.
doctoris Aureliani in frequentiſſima materia
diſtractus contractuum.

Imppp. Valentin. Theod. & Arcad. A. A. A.
Fabiano P. P. Illyrici & Italiæ.

Dudum proximis conſortibusq́; conceſſum erat vt extraneos ab emptione remouerent: neque homines ſuo arbitratu vendenda diſtraherent. Sed quia grauis hæc videtur iniuria, quæ inani honeſtatis colore velatur, vt homines de rebus ſuis facere aliquid cogantur inuiti: ſuperiore lege caſſata, vnuſquiſque ſuo arbitratu quærere vel probare poſſit emptorem: niſi lex ſpecialiter quaſdam perſonas hoc facere prohibuerit. D. VI. Kal. Iun. Vincentiæ, Tatiano & Symmacho Coſs.

Summarium in ſequentem Repetitionem. L. Dudum
C. de contrahenda emptione & uend.

1 Conſuetudo coarctans arbitrium etſi non valeat virtute introductionis præcedentis, valet tamen vi introductionis poſtea factæ.
2 Conſuetudo admittens retractum rei venditæ non improbat venditionem factam.
3 Contractu venditionis improbato, non reſtituitur preciū.
4 Pactum, per quod alicui tollitur libera omniū rerum ſuarum diſtractio, eſt inutile.
5 Hæres rem ſuam à teſtatore pignori datam vendicans contraria pignoratitia ab ipſo creditore conueniri poteſt.
6 Alienare prohibitus rem aliquam præterquàm conſanguineis, recuſantibus conſanguineis iuſtum pretium dare, poteſt extraneo vendere.
7 Prohibitus lege vel pacto alienare, alienando non transfert dominium.
8 Emphyteuta rem in emphyteuſim acceptam alij quàm domino prohibetur alienare.
9 Hypocritæ ſub ſpecie honeſti turpiſſima flagitia ꝑpetrant.
10 Alienata extra familiam contra prohibitionem legis vel conſuetudinis, per quemlibet de familia reuocari poſſunt.
11 Tempus reuocandæ rei alienatæ per conſanguineum expirat anno & die.
12 Permiſſum ad tempus poſt tempus cenſetur prohibitum.
13 Præſcriptio anni & diei ſtatuto inducta, minoribus iuxtà ac maioribus opponi poteſt.
14 Statutum interpretationem reſtrictiuam non admittit, vbi agitur de lucro captando.
15 Statutum interpretationem admittit ſecūdum diſpoſitionem iuris communis.
16 Statuta ſunt ſtricti iuris.
17 Statutum duo ſpecialia contra iuris communis regulas inducens non debet admitti.
18 Caſus aliquot enumerati in quibus per lapſum temporis non inducitur vſucapio.
19 Adijci alicui rem aliquam in diem quid ſit.
20 Præſcriptio biennij dapſi oppoſita in actione non numeratæ pecuniæ differt à præſcriptione anni & diei oppoſita in retractu.
21 Correctio legum vitanda eſt.
22 Gallorum rex legibus imperatorum non ſubijcitur: ſed ijs vt rationibus vtitur.
23 Emptor ſcienter emens rem retractui obnoxiam, non repetit impenſas in ea re intra annum & diem factas: niſi quas neceſſe habuiſſet dominus facere.
24 Res alienata vni ex cōſanguineis qui aliâs non erat alienanti ſucceſſurus, an retrahatur per ꝓximiores. & nu. 18. & 32.
25 Appellatione nepotum propriè veniunt filij filiorum: in priuilegijs autem veniunt etiam filij fratrum.
26 Fundi emphyteutici à patre relicti partem ſuam frater fratri alienare impune poteſt.
27 Ratio legis eſt vis ac poteſtas ipſius legis: qua ceſſante, ceſſat & ipſa lex.
29 Statutum comprehendens certas perſonas non extenditur ad perſonas non expreſſas.
30 Proximus eſt quem nemo præcedit.
31 Ius habens redimendi rem aliquam, poteſt redimere etiam quæcunque ei rei acceſſerunt titulo lucratiuo, non etiam oneroſo.
33 Ius redimendi rem alienatam ab agnato an cedi extraneo poſſit. & nume. 37.
34 Ius adulterum occidendi cedi poteſt filijs.
35 Officium iudicis cedi poteſt.
36 Poteſtas eligendi iure proprio alicui cōpetens cedi poteſt.
38 Tutor teſtamento datus propter facultates ſi pauper efficiatur non debet per iudicem confirmari.
39 Factum cohærens perſonæ non tranſmittitur.
40 Venditor quādo poſſit rem ſuam, quā vēdidit, retrahere.
41 Retrahens rem ab agnato venditam an repetet fructus ab emptore perceptos.
42 Fructus percepti ex re quæ in diem incertum vel ſub conditione reſtituenda eſt, non ſunt reſtituendi.
43 Fructus ante litis conteſtationem percepti nō reſtituuntur in actione familiæ erciſcundæ & finium regundorum.
44 Emptor rei in diem ſibi adiectæ efficitur dominus: camq;

1142 Ego in iure puto verum eſſe † iura regia quæ
maximè coronæ regiæ adhærent adeo ab ea inſe-
parabilia eſſe, vt nullus capax illorum eſſe poſ-
ſit abſque difformitate maieſtatis regiæ, vt in di-
cto. c. intellecto. extra de iureiuran. & alijs legi-
bus ſuprà notatis, quas non trāſcribimus. Et ob
id inalienabilia eſſe, vt per multa ſuprà docui-
mus. Et idem etiam Bald. tenet in dicto. c. in cau-
ſis. in verbo, amplius. de pace Conſtan. collatio.
x. Et hac ratione impræſcriptibilia: quia poſſeſ-
ſio in his initium accipere nō poteſt, per ea quæ
paulò ante oſtendimus. In his autem in quibus
titulus cadere poteſt, & puto præſcriptibilia eſ-
ſe cum titulo, aliqua decē aut viginti annis: non-
nulla triginta annis: alia verò quadraginta & ple-
raque centum, & ad ſummum tanto tempore cu-
ius initij non extat memoria, ſicuti ſuprà diſtinxi
mus, & in repetitione. l. donationes. C. de dona-
tio. inter virum & vxor. cuius ſuprà dicta cōiun
1143 gi debent. † Et dicenti ſe titulum habere, de eo
docere debet, propter iuris reſiſtētiam. l. prima,
&. l. licitatio. ff. de publica. & vectiga. Adde aliā
rationem poſitam in. l. vnica. C. de ſuperexacto.
libro. x. & in. l. vnica. C. de ſuperindicto. eo. lib.
Et illis addo gloſ. in. l. ſi qua loca. in verbo, lon-
gi temporis. C. de fund. & ſalti. rei domi. lib. xj.
l. vniuerſas. C. ne rei domi. vel tēplo. Et vlterius
voluit eū qui in eo ſe fundat, vſum eius probet:
cùm, ſecundùm eos, ſicut vtendo acquiritur, ſic
non vtendo amittitur. l. hæc autem iura. ff. de ſer
uitu. vrbano. prædiorum. niſi cauſa legitima in-
teruenerit, propter quam abſque facto hominis
vti non licuit, vt in. l. & Attilicinus. ff. de ſeruitu.
ruſtico. prædio. l. in filijs. C. de decurio. libro. x.
per Bartol. in. l. vnus. ff. de ſeruitu. ruſtico. præ-
diorū. dixi ſuprá. Sed qualiter vſus probabitur,
declarat Felin. in. c. licet cauſam. tertia colum. in
fine. extra de probatio. Et Bald. in. l. actor. C. de
probatio. Floria. in dicta. l. hæc autem iura. ff. de
ſeruitu. vrbano. prædio. vide quod notatur in. c.
cùm & perſonæ. de priuileg. in. vj. Florian. in. l.
circa. ff. de probatio. Cin. in. l. ſolennibus. C. de
fide inſtrumen. Et hæc de negatiua & proba-
tione negatiuæ dicta ſufficiant.

Et per hæc ad Dei laudem & gloriam, eiuſq;
glorioſæ virginis ſuæ genitricis omniumq; ſan-
ctorum, huic repetitæ lectioni colophonem ad-
didimus.

Lugduni,

EXCVDEBAT IOANNES BARBOVS.